



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ Pontificum Romanorum

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

Sandini, Antonio

Bambergæ, 1753

CCXXXVII. Urbanus VIII. Anno Christi 1623. Ferdinandi II. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65477)

(6) Constitut. 34. §. 4. Statuimus, quòd omnes & singuli Sacerdotes ---- qui personas, quæcunque illæ sint, ad inhonestam sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentali Confessionis, sive antea, vel post immediatè, seu occasione vel prætextu Confessionis hujusmodi, etiam ipsa confessione non secuta, sive extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocunque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendum electo, simulanter ibi Confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint, nec cum eis illicitos & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, in Officio S. Inquisitionis severissimè puniantur.

CCXXXVII.

URBANUS VIII.

ANNO CHRISTI 1623.

FERDINANDI II. §.

Octavo Idus Augusti *Maphæus*
Barbarinus Florentinus, annos
 sex & quinquaginta natus, litteris

Spond. apprimè excultus, nec infimi inter
 an. 1623. poëtas nominis, Gregorio XV. suc-
 §. II. cessor datur, diciturque *Urbanus VIII.*
 Hic

Hic anno Pontificatûs tertio ma-
 gnum *Jubilæum* duodecimum cele-
 bravit. Hunc quoque tenuit obser-
 vantia illorum, quæ superiores Pon-
 tifices constituerant, gravi decreto
 vetantes, ne jus esset, quidquid in
 posterum rediret ad Pontificem, jure
 beneficiario possidendum aliis rursus
 concedere. Itaque audito, *Ducem*
 Urbinatem Franciscum Mariam Ro-
 boreum gravem jam ætate post mor-
 tem unici filii decrevisse Principatum
 restituere Apostolicæ Sedi, unde fi-
 duciarium diu obtinuerat, ejus pos-
 sessionem adivit, & loca præfidiis
 firmavit. Arcem in Bononiensium
 finibus condidit, quam *Urbanam* di-
 xit ab suo nomine. Consecravit Va-
 ticanam *Ædem* in amplissimi Templi
 formam à Pontificibus prioribus red-
 actam, opus vel in antiqua magni-
 ficentia Urbis conspicendum. Sepul-
 chrum Apostolicum æreâ mole de-
 coravit. (1) Archigymnasium quo-
 que Romanum, quod *Sapientiam* ap-
 pellant, amplificavit ornavitque.
 Collegium *De propaganda Fide* à fun-
 damentis erexit, *Urbanum* inde ap-
 pellatum. Arcem Hadrianam novis
 operi -

An. 1615.
 §. 1.

An. 1626.
 §. 2.

operibus munivit, Urbemque *Le-*
ninam muris & propugnaculis cir-
 cumdedit. Vaticanam Bibliothecam
 Græcis MSS. codicibus locupletavit.
 Breviarium Romanum expurgatum
 edidit. Pontificale item Romanum,
 & Hymnos sacros emendavit. Mar-
 tyrologium quoque suâ auctoritate
 recognitum publici juris fecit. Pri-
 mus Romanorum Pontificum à Re-
 gibus Congi per oratorem Joannem
 Baptistam Vives solemne Christianæ
 obedientiæ juramentum accepit. Plu-
 res dies festos abolevit, tum quod
 pauperes eorum *multitudinem ob quo-*
tidiani victus laboribus suis comparati
necessitatem sibi valdè damnosam conque-
rerentur, tum quod *ipsâ multitudine*
 populus uteretur non religionibus
 colendis, sed vitiis. (2) Disceptari
 voluit controversiam, possétne Sa-
 cramentalis Confessio laicis etiam
 non solùm autem Sacerdotibus fieri
 necessitate premente (3) Auxit
 §. 8. *Eminentissimi* titulo Cardinales, Ar-
 chiepiscopos tres Electores Imperii
 & Magnum militiæ Melitensis Ma-
 gistrum, vetuitque, ne Cardinales
 se aliter appellari sinerent nisi ab Re-
 gibus

An. 1630.

§. 8.

gibus & Senatu Veneto, cujus par An. 1644
regiæ dignitas esset. Eum mors ab- §. 2.
stulit IV. Kal. Augusti anno 1644.
post expletos in Pontificatu annos
unum & viginti, novem minus diebus.

ANNOTATIONES.

(1) Usus in id æneis lacunaribus sublatis
ex Pantheonē, quæ post tot irruptiones,
direptionesque barbarorum adhuc supere-
rant. Hinc vanum illud. *Quod non fe-
cerunt barbari, fecerunt Barbarini.*
Vide pag. 748.

(2) Constitut. 164. §. 1. tom. 4. Bullariū
pag. 230.

(3) Eam excitârat Sacerdos nescio quis
missus ad Sinas lege Christianâ imbuendos,
ut si responsum esset, id fieri licere, viam
facilem aperiret audiendis Confessionibus
pœnitentium sœminarum, quæ illic custo-
diuntur arctissimè. At non fuit valde la-
borandum Romanis Theologis, ut adver-
sùm allatos ex Canonico jure locos evin-
cerent, potestatem retinendi ac remitten-
di peccata solis Sacerdotibus factam fuisse
à Christo Domino. Rem totam explicatè
narrat Marcus Bataglini in Annal. Sacerdo-
tū & Imperii Italicè scriptis ad an. 1637.
§. 10. & seq. Vide D. Thomam in Supple-
mento 3. Part. quæst. 9. art. 2. & Joannem
Morinum in Commentario Historico De
administratione Sacramenti Pœnitentiæ lib.
8. cap. 24.